

ebrii et nudati patris Noe verenda membra, averso incedentes vultu, operuere pallio, magnam propterea laudem patrisque benedictionem meriti, Gen. IX. Præclarum etiam hujus pietatis recenset exemplum Abdias, in vita S. Andreae apost. de juvene quodam, Sostrato appellato, qui a propria matre ad immane flagitium sollicitatus, et quod eidem imperanti peccatum nollet parere, falso accusatus, quasi ipse vim inferre matri attemptasset, decrevit apud senihil prorsus obtentare in sui defensionem, ne matris impietatem manifestare cogeretur: passurumque potius quodvis tormenti genus, quam matris dedecus. Qui tamen ob impiæ et impuræ matris delationem jam ad mortem condemnatus, S. Andreae precibus ad Deum fuisit liberatus, innocensque declaratus, matre a fulmine icta et in carbonis speciem combusta. Pari in parentes pietate motus videtur fuisse Samson, quando occurrentem sibi leonem invasit et dilaniavit, cum ab eo sibi nequaquam timeret. Quia enim parentes ejus exiguo præstant intervallo, nocere illis leo poterat: ergo parentum vitam ut tueretur, vulnera et morsus a leone sibi infigendos sprexit, adeoque in leonem velut in hædum insiliit, Judic. XIV. Verum intueamur Christum an etiam quoad hoc Filium se Patris sui præbuerit. Certe cum in temploprehendisset nundinatores, facto flagello, eos corripuit eiecique, causam addens: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, Joan. II. Certe proprias injurias nunquam ultus fuit, ad Patris vero injuriam iram exerit, et tantæ multitudinis furori sese objicit, nihil pensi habens, quod inde necis insidias sibi structuri essent. Discite hinc, filii, tueri honorem et vitam parentum, si vocari et esse filii vultis. Quid vero de illis dicendum, qui parentes suos infamia aspergunt, aut aliis injuriis cum dedecore eorum afficiunt? Num filios dicemus? *Serpentes* potius et *genimina viperarum* appellandi sunt, quemadmodum et Judæi a Joanne compellati sunt; et jure, quia parentem et creatorem suum impii occiderunt, uti viperam proles. Horum antesignanus fuit impius ille Cham, qui patris Noe nuditatem derisit, et fratribus aspiciendum ac deridendum proposuit: propterea a patre merito maledictus, Gen. IX. Huic accensendus non injuria venit Alphon. VI. Hisp. rex, qui matrem Therasiam captam carceri inclusit et compedibus adstrinxit. Sed quemadmodum Noanæ maledictionis fulmen Chamo inflictum fuit, ita et materna maledictio feriit Alphonsum. Dixit enim: *Quia crura mea vinculis alligasti, et mihi abstulisti honorem a patre relictum, Deum precor ut fias captivus, ut ego sum: demum crura tua fracta conspicias,*

*sicut mea ferro vinxisti.* Paulo post id contigit, quando, Alphonso per portam civitatis exeunte ad prælium, tibia ejus vectis ferro involuta pariter et rupta, ille vero in prælio victus captusque est, Roder. Sanctius, in hist. Hisp. p. 4. c. XIV. *Honora ergo patrem*, ait S. Ambros. I. de bened. patriarch. *ut benedicat te: honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et si pauper est et non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis; habet tamen ultimæ benedictionis hereditatem, etc. et paulo ante: Ideo hanc parentibus gratiam (benedictionem filios) donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur.*

IV. Qui parenti morem non gerit: *Quomodo filius ejus est?* Quia enim filii ab ineunte ætate rudes, adeoque a parentibus edocendi ac dirigendi sunt, utique eis parere debent. Unde apostolus ad Eph. VI. ait: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Egregium et omni ævo memorandum hujus obedientiæ exemplum fuit Isaac, quando se a patre ad mortem innocens duci, ligari atque in struem immolandum poni permisit, nihil omnino contradicens; quasi nihil grave et acerbum censeret quod a patre susciperet. Verum hic umbra tantum Christi ebedientis fuit, qui omnis obedientiæ prototypus, Joan. VI. ait: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me; quique factus est Patri suo: Obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quam ob causam primi illi Christiani in oratione sua appellabant eum *puerum*, Act. IV. *Convenerunt adversus sanctum puerum tuum Jesum.* Quia nimirum tota vita velut puer parvulus aut servus domesticus Patri morem gessit. Aspiciate, filii, in exemplum hoc, et judicate quid a vobis requiratur: si ipse Dei Filius morigerum se Patri instar pueri exhibuit. Erravit igitur, sed paterno ex amore David, quando rebellem suum Absalonem *puerum* appellavit, II. Reg. XVIII. dicens: *Servatè mihi puerum Absalon!* rursus: *Estne pax puero Absalon?* Non enim puer, sed corroborata pervicacia et dura cervice rebellis erat, ideoque in duro robore seu quercu tentus et suspensus est. Sperabat nimirum bonus pater Absalonem fore puerum, sibi aliquando cessurum, et conabatur excusare ipsius delictum: sed refractarium et quereinum invenit: propterea etiam sub cumulo lapidum tumulatus, jamque enectus quodammodo, lapidatus fuit, juxta legem Deut. XXI. in contumaces filios latam; quia sua pervicacia in lapidem induruerat. Non ergo filii, sed lapides et quereus potius appellari debent, qui parentum jussa spernunt: quemadmodum et Augustus Cæsar immorigeras suas proles, carcinomata dumtaxat,

non filios vocabat. Et videre cupitis tale carcinoma recens punitum? Id offeri p. Bened. Ferdinandus, in cap. XLIX. Genes. « Narravit forte pia quædam mulier, inquit, illa tunc eadem hora cucurrisset ad inhumanum procul dubio spectaculum, et quiritanti feminae opem tulisse, quam filius furiosus adolescens matris objurgationem non ferens, districto gladio impetivit, et nisi forte resupina præ metu cecidisset, pectore ipso transverberasset: Heu tu, inquam, bona mulier, observa obsecro: iste et cito et sine confessione, et violenter morietur. Hoc enim mihi præ sagit animus et Dei testimonia, et quotidiana experientia persuadent. Quid tum postea? Ejusdem dies infausta illa quidem nocte, cum infelix ad meretricem ingredi tentaret, ab altero sui simili gladium districtum ore ipso accepit, amputataque lingua, qua matrem injuriis et conviciis denonestaverat, transfossoque ulterius occipite, procubuit absque ullo penitentiæ signo, indeque in tumulum sublatus, atque in inferno (ut credere par est) consequutus, exemplo, atque horrore fuit filius, ne parentibus ingratos se, inurbanos atque inhumanos, quorum in promptu vindex Omnipotens adest, nullo modo exhibeant. »

V. Qui parenti suo vicem non reddit, serviendo, assistendo, consulendo patienti aliquam necessitatem: *Quomodo filius ejus est?* Accipiunt filii a parentibus præter vitam et institutionem etiam autrimentum, multo eorum sudore comparatum: quare obligantur eis, ut præ senio repuerascensibus et debilitatis vicissim inserviant, ac necessaria administrent; quod si facere negligant, quomodo eorum filii appellari possunt? Quomodo non potius filii alieni et belluini? Audiant Eccles. VII. sic loquentem: *Honora patrem tuum, et genitum matris tuæ ne obliviscaris. Memento quod nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodo et illi tibi: tribuerunt scilicet victum et sustentationem, ut exponit Hugo et Carthusianus. Quemadmodum enim vapores e terra in sublimem ascendentes aerem, ibi condensantur, et in pluviam resoluti rursus descendunt, eamque irrigant ac fecundant; ita decet filios, quia parentum opera e luto extracti, bonis et honoribus aucti atque sublimati sunt, iterum quanti sunt, ad eorum necessitates et miseras sublevandas se demittere, adeoque quod acceperunt, rependere. Id quod egregie præstitit Joseph, qui: *Cum somniasset quod sol et luna et stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri*, ait Ambrosius, I. I. de officiis, cap. XVII.*

Quæ causa est, cur parentes doleant tantopere mortem filiorum, nisi quia in illis spem et solatium, adeoque *baculum senectutis* suæ (uti vocabat

Anna filium Tobiam, Tob. V.) amittunt? Hinc illa lamentatio Annæ ob dimissum filium in exteram regionem. Cogitent jam filii, quod si ipsi perdidissent etiam baculum juventutis suæ. Quam ob causam Isaac luxit mortem matris suæ toto triennio, donec, accepta conjugem, luctum illum sponsæ amore temperaret, Gen. XXIV. Quis mos et apud Sinas hodieque observatur, uti refert Nicol. Trigautius, de expedit. christ. ad Sinas, I. I. c. VII. *Inviolabili consuetudine receptum est, inquit, ut luctus patris aut matris in triennium protrahatur. Cujus rei causam reddunt hanc, ut suis parentibus qui prius ætatis triennio ejus ulnis gestaverant, tantoque labore educaverant, vicem rependant.* Ecce barbari isti agnoscunt beneficia parentum; quid respondebunt ad hoc filii, qui mortem parentum optant et sua ingratitude accelerant, adeoque adhuc juvenes in luctum impellunt? Hinc filii appellandi et non potius semen Chanaan et filii scelerati? Qui enim filii sunt, amant utique parentes suos; si amant, non deferunt, sed eripiunt e miseris. Hinc duæ illæ sorores, Martha et Maria, nihil aliud Christo nuntiant de fratre suo Lazaro, quam: *Ecce quem amas, infirmatur*, Joan. XI. *Sufficit ut noverit*, ait in eum locum, tr. XLIX. in Joan. S. Augustin. *non enim amas, et deseris.* Pari ratione dico: Si filius es, amas parentem, si amas, non deseris. E contra, si deseris in calamitate positum: *Quomodo filius ejus es?*

## CONCIO V.

PRÆCEPTUM DILIGENDI PROXIMUM QUI IMPLENDUM.

I. Quis diligendus. — II. Quomodo diligendus. — III. Quibus officiis et obsequiis.

## THEMA.

*Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. XXII.

Quinquaginta aureorum debitorem quemdam ferunt a creditore suo in judicium pertractum, a judice interrogatum esse, cur non exsolveret debitum. Cui ille, modum et rationem persolvendi se non invenire in pauperie sua. Tum judex: Ego docebo te, ait, modum et rationem solvendi quod debes. Ad hoc respondit debitor: Certe, domine, magno me beneficio afficietis, si hoc me docueritis; debeo enim et aliis plura, quæ solvendo non sum. Duobus modis docemus homines, verbis et verberibus; et videtur iste debitor non posteriore, sed priore modo doceri voluisse; qua via et ratione, scilicet, satisfacere creditoribus suis

posset, cum tamen iudex alterum modam et verbera minatus sit, nec instruere, sed cogere vellet. Debitores sumus nos, auditores, unusquisque proximo suo. Ita enim testatur apostolus ad Rom. XIII. dicens: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Grande est hoc debitum, et quidem indissolubile, ita ut quantumque dissolvamus, semper adhuc debeamus. Unde S. August. ep. LXII. ad Cœlestinum scribens: *Semper debeo charitatem, quæ sola etiam reddita detinet debitorem:* et infra: *Quam recipio, adhuc repeto; quam reddo, adhuc debeo.* Hoc igitur debito qua ratione nos liberabimus? Verbisne an verberibus doceri modum volumus? Posteriore hunc non expedit eligere: quis enim ferat manum verberantis Dei, ad quem clamat Job: *Manum tuam longe fac a me, c. XIII.* Itaque cum debitore illo alterum eligamus, ut verbis edoceri potius velimus; qua ratione huic debito nostro satisfacere queamus, quod nunc discemus.

I. *Diliges proximum tuum.* Proximus est homo quilibet, quia ejusdem naturæ particeps, ejusdem Dei Patris filius et cœli cohæres. Itaque præceptum hoc primo, extendere se ad omnes homines debet; quia ratio diligendi est una omnium, qua diliguntur proximi propter Deum, cujus creature, et servi sunt omnes et singuli; præsertim Christiani, qui propterea sub initium nascentis Ecclesiæ, velut per antonomasiam, fratres dicebantur, uti patet ex Joan. V. ubi ait: *Qui fecit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita.* In quem locum Divus Augustinus, lib. I. de sermone Domini in monte, cap. XLIII. *Fratres, inquit, Christianos significari multis divinarum Scripturarum documentis probari potest. Sed manifestissimum est illud quod apostolus ita ponit: Sanctificata est mulier infidelis, in fratre* (ubi Vulgata legit, *per virum fidelem*) II. Cor. VII. et paulo ante vers. XII. *Si quis frater uxorem habet infidelem:* et paulo post, num. XV. *Non servituti subjectus est frater tuus soror,* hoc est, Christianus aut Christiana. Itaque et alienigenas Christiani appellabant fratres; unde sequitur par: amore complectendos esse omnes, quia omnes membra unius corporis Ecclesiæ et capitis Christi sunt. Hoc modo Philippenses, imo fideles omnes diligebat apostolus: ita enim ad Philippenses, I. ait: *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Ita et Thessalonicenses se invicem amabant, teste eodem apostolo, II. ad Thessal. cum ait: *Supercrevit fides vestra et abundat uniuscujusque vestrum in invicem.* In quem locum Sanctus Chrysostomus, hom. II. ait: « Vide charitatem: non alium quidem dilexerunt, alium vero minus,

sed æqua erat erga quosvis dilectio. Hoc enir inquit, cum dixit: *Mutua omnium vestrum cuiusque in alterum charitas.* Erat enim æquivalens velut unius corporis. Nam et nunc apud multos invenimus dilectionem esse; at ita ut illa ipsa dilectio dissidii causa sit. Quando enim bini vel terni conjungimur, et duo quidem, vel tres, vel quatuor vehementer colligantur, a reliquis vero nos ipsos avellimus, dum ad istos refugium habemus, de istis omnia præsumimus; illud charitatis est divisio, non charitas. Nam dic mihi: Si oculus omnem providentiam et curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis membris omnibus contemptis, uni isti intenderet, annon totum perderet? Absque dubio. Ita et nos, si charitatem, quam in universam Ecclesiam extendere debemus, in unum et alterum coarctaverimus, et nobis ipsis et illis, totique Ecclesiæ perniciem inferemus. Ista namque non sunt charitatis, sed dissidii, schismata nempe et rupturæ hiulcæ. Nam si ex integro homine divisam aliquam portionem ceperis, atque ipsum quidem schisma sibi ipsi unitum, continuum et conglutinatum fuerit, nihilominus etiam hoc pacto schisma est, propterea quod reliquo corpori coadunatum est. Quid enim proderit quod aliquem vehementer amas? Humana est ista dilectio. Si vero non est humana, sed propter Deum illum diligis, dilige omnes. » Huic aliam rationem adjungit D. Basilius, de instit. mon. serm. II. *Quemadmodum Deus promissæ omnibus lucem impartitur, sic imitatores Dei charitatis ipsorum rudium æqualiter communicare omnibus debent: quandoquidem ubi deliquitum patitur charitas, eo prorsus ejus loco odium succedit.* Huc forsitan respexit Deus, cum præcepit, Exod. XX. *Non edificabis altare de sectis lapidibus.* Secti enim lapides sunt qui, in schismata divisi, uni præ altero adhærent, ut exponit Isid. Quod si tamen hæc lex ita declarata nimis alicui videtur austera, arripiat, si velit, eam amoris et affectionis seu agapis et diathesis distinctionem, quam ab Joseph. usurpat apud Cass. coll. XVII. c. XIV. amorem nimirum omnibus impendendum, affectionem vero paucis: his dumtaxat, qui vel parilitate morum, vel virtutum societate connexi sunt.

Secundo, extendit se etiam ad malos et ingratos. Neque enim Christianus suam utilitatem, sed proximi indigentiam, et in ipso Deum quasi indigentem intueri debet, quem diligit propter Deum. Mercenaria illa dilectio ethnicorum est, non Christianorum. Horum enim est imitari Deum et Patrem suum cœlestem: *Qui solem suum*

*oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Non quia nos boni, sed quia ipse bonus est, effundit in nos hæc beneficia; cui ex nostra gratitudine nihil accedit: quemadmodum et sol nihil acquirit, si admittantur a nobis radii; nihil deperdit, si excludantur. Unde S. Chrysost. hom. XXX. in II. ad Cor. c. XIII. *Si sol, qui creatura est, ait, non eget nostris oculis, et licet nemo ipsum videat, manet tamen in sua claritate: nos autem, qui radiis illius fruimur, utilitatem percipimus: multo magis de Deo sic loqui convenit.* Ut ergo sol non ob suam, sed ob nostram utilitatem radios suos nobis communicat; sic etiam nos gratis oportet diligere, qualescumque illi sint. Quinimo subinde præstat malis benefacere quam bonis, ne peiores, sed meliores fiant. Id egregie intellexit præstititque abbas Achilles: « Ad quem venerunt aliquando tres senes, et unus ex eis habebat opinionem malam. Dicit autem ei unus de senibus: Abba, fac mihi unam sagenam ad piscandum. Et ille dixit: Non facio. Et alius dixit ei: Fac nobis, ut habeamus memoriam tui in monasterio nostro. Et ille respondit: Non mihi vacat. Dixit ei tertius, qui habebat malam opinionem: Mihi fac sagenam, ut habeam de manibus tuis benedictionem, abba. Et ille statim respondit ei: Ego tibi faciam. Dixerunt autem ei secreto duo priores, quibus non acquieverat: Quomodo sic, quia nobisrogantibus noluit facere, et huic dixisti: Ego tibi faciam? Respondit eis senex: Vobis ideo dixi: Non facio, quia non mihi vacat, et non contristabimini: huic autem si non fecero, dicturus est, quia de opinione mea, quæ mala est, audivit senex, et ideo noluit facere sagenam, et statim incidebamus funem ad sedandum animum ejus, ne tristitia absorberetur hujusmodi. »

Tertio, extendit etiam se usque ad inimicos, juxta legem Christianorum; quia licet ipsi propter se forsitan indigni sunt, qui diligantur; Deus tamen, propter quem diligi jubentur, omnino dignissimus est. Præstitit hoc in veteri lege Samuel, qui pro populo, a quo repudiatus fuerat, orare perrexit, dicens: *Absit a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem crare pro vobis,* I. Reg. XII. Ecce vero: *Nisi quia vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? Legis quidem veteris (quæ amicos tantum diligere præcipiebat) mandato instructum; sed novæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis evangelica perfectione reprehendit,* ait in eum locum S. Gregorius. Magnum quidem hoc charitatis exemplum, sed in viro religioso et propheta, sub veteri lege rarum: quod tamen in nova lege frequens et

passim reperire est etiam in sæcularibus, et qui ad vindictam promptiores sunt, juvenibus; cujusmodi erat non ita pridem Olyssipone quidam, uti refert p. Bened. Fernandus, in cap. XXXIII. Genes. sect. VIII. in hunc modum. « Nuper Olyssipone (in qua scribimus) in rixa publica unus adolescens alteri deformem infixit alapam: læsus gladio vindictam expetens nocere tamen haud potuit inimico. Cumque id per multos dies gliscente ira moliretur, ecce tibi ad oram Tagi, seu potius in littore maris, aliquando deambulans videt prope scapham, quæ ab alto ad urbem iniquo tempore ferebatur, subito fluctuare atque inimicum adolescentem, a quo fuerat offensus, cum aliis vectoribus in pelagum ruere præcipitem. Accurrit ergo ex ripa, et miserat, quia jam semel haustus gurgite rursus emergerat pene moribundus, cervicibus apprehensum tenuit, atque incolumem in arena constituit, sibi quidem gratulans, Deoque habens gratiam, quod tam pulchram divinitus occasionem invenerit bene merendi de inimico, vitamque illi largiendi, cui mortem modis omnibus expetierat. tunc maxime cum facile posset illam inferre. O vere generosum hominum, sed o vere christianum ingenium divinoque persimile! » Certe talem sub veteri lege charitatem non quævisisset Saul: *Quis enim, inquit, I. Reg. XXIV. § XX. cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?*

II. *Diliges eum, sicut teipsum.* Qua ratione? Eam explicat apostolus ad Rom. XII. cum imprimis ait: *Dilectio sine simulatione,* h. e. sit vera et sincera: ita ut quod proximo fit, tibi fieri existimes. Doceris hoc ab ipso Deo tuo, qui dixit Zach. *Qui tetigerit vos (servos meos) tangit pupillam oculi mei.* Se igitur offendi censet Deus, et quidem acriter, cum offenduntur ejus servi. Rursum, quando misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus, Matth. XXI. indicat manifestè salutem agricolarum esse fructus ipsius, cum tamen agricolarum magis sit. Discis idem a Christo Domino, qui, inventa ove, dixit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam,* Luc. XV. Oviculæ igitur reductionem et vitam a lupis servatam suam reputat gaudium. Idem quando Saul persequebatur Christianos, clamat de cœlo: *Cur me persequeris?* Act. IX. Denique, in die iudicii dicit electis: *Esurivi et dedistis mihi manducare, etc.* quasi cibus pauperi datus tantumdem ipsi saporis exhiberit, ac si ab ipso sumptus fuisset.

Secundo, dilige eum affectuose, velut filium aut fratrem, ut subdit apost. ib. *Charitate fraternitatis invicem diligentes* (Græce, *impensi et affectuosi amatores sitis*), honore invicem prævenientes.

In quem loc. S. Chrys. hom. XXI. in ep. ad Rom. ait: « Dicit, (apost.) alius in alium dilectione propensi, h. e. ferventer dilige. Noli in hoc consistere, ut diligaris ab alio, sed tu potius erga alium prior diligendo prosili. Unde et subdit: Honore alius alium præcedentes. Hac quippe ratione et nascitur dilectio, et nata perdurat. » Ita se dilexere mutuo Paulus eremita et Antonius, cum alter alteri cessit honorem, ut panem a corvo sibi allatum frangeret, uti refert S. Hier. in vit. S. Pauli. Simile charitatis certamen inter duos recenset S. Chrys. hom. XXX. ad pop. « Erat quidam locus, inquit, thesaurum habens absconditum. Cum hoc nesciret dominus, locum alienavit. Qui emerat, cum perfoderet, ut agrum plantaret et excoleret, repositum invenit thesaurum: cumque venisset ad venditorem, ut thesaurum reciperet cogebat, locum enim se dicebat emisse, non thesaurum; vicissim ille respuebat donum, dicens: Locum vendidi, nec ullum in eum jus habeo. In quæstionem venerunt, unus quidem dare volens, alter vero contendens ne reciperet. Et quemdam convenientes virum, disceptabant, et postea dicebant ei: Cui debet attribui thesaurus? Ille vero sententiam non protulit; dixit nimirum se quæstionem soluturum, et se possessorem futurum. Cumque sponte concessissent, innumera postmodum mala sustinuit, et quod merito illi ab eo discessissent, ipsa re didicit. » Quale hoc certamen, auditores? Quis hoc tempore inter Christianos talem ac tantam inveniet charitatem? Talem benevolentiam? Talem rerum temporalium contemptum? Sed cur hoc miramur? Nonne Deus quoque ita nos dilexit, ut prior iniret gratiam nobiscum et mitteret nobis Filium suum, cum adhuc inimici essemus? *Quoniam ipse prior dilexit nos*, ait Joan. ep. I. cap. IV.

Tertio, dilige eum fortiter, ut pro ejus bono jacturæ propriæ aut discrimini te exponere non pertimescas. Idem indicat apostolus loco cit. cum subdit: *Spiritu ferventes* (in dilectione fraterna) quasi igne inflammati. Ita Abraham dilexit Loth nepotem suum, quando audiens eum abduci captum, cum 318. vernaculis suis persecutus est integrum quatuor regum exercitum, invasit et cecidit, quasi leo quidam ignem spirans, Gen. XIV. *Sic amabat nepotem*, inquit D. Amb. I. I. de Abrah. c. III. *ut pro eo nec belli declinaret periculum*. Idem, a patruo nimirum edoctus, præstitit Loth, quando angelos (nondum sibi cognitos) in platea magno suo periculo pernoctare volentes: *Compulit oppido, ut diverterent ad eum*, Gen. XIX. ubi D. Amb. cit. c. VI. *Ille quidem inter quos habitaret sciebat tamen; domum suam offerebat pe-*

*riculis, quibus auferret hospites*. Si hoc duo illi viri sub veteri præstitere lege, non faciant Christiani sub nova, gratiæ auxilii plena et exuberante?

Quarto, sedulo et festinanter, uti subjicit etiam apost. *Sollicitudine non pigri*. Non expectes donec proximus jam malo suo liberatus vel desperatus est; sed præveni ejus periculum aut miseriam. Documento simul et exemplo prævit in hoc Dominus noster; qui ubi primum aliquem cum miseria conflictantem vidit, statim in spem erexit, etiam antequam eriperet. Ita paralyticum illum, cui coram se deposito dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matth. IX. ita Jairum, cui a spe filiæ suscitandæ bene jam dejecto: *Noli timere*, inquit, *crede tantum, et salva erit*, ibid. ita centurionem: *Veniam et curabo eum*, Matth. VIII. ita viduam filii defuncti: *Noli flere*, Luc. VIII. ita esurientes: *Facite illos discumbere*, Luc. IX. ita adulteram: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, Joan. VIII. ita hydropticum: *Si licet sabbato curare*, Luc. VIII. ita languidum ad piscinam: *Vis sanus fieri?* Joan. V. ita Martham sororem Lazari: *Resurget frater tuus*, Joan. XI. Neminem ergo passus est diu natate, et cum fluctibus inter undas dimicare, quin illico animarit et spe salutis roborarit. Hunc ergo charitatis doctorem imitare, Christiane, et si non mox opem ferre potes, saltem poteris solatium. Insignis Christi imitator fuit S. Antidius episc. Turon. qui (ut refert Sigebert. in chron. Marulus, l. V. c. VII.) cum a dæmonibus tripudiantibus intellexisset eorum machinatione pontificem Zozimum in peccatum fuisse inductum, eorum uni præcepit in nomine Domini, ut quamprimum ab eo Romam devehere-tur, quo lapsum revocare ad prænitentiam posset: negotiumque feliciter confecit.

Quinto, gratis et sponte, non propriæ utilitatis causa, quod indicat apostolus, cum addit: *Domino servientes*, q. d. non ab homine, quem amore prosequimini, sed a Deo, cujus gratia illum amatis, mercedem expectate. Hoc commendat nobis Dominus, cum ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, Joan. XV. Atqui nonne gratuito et spontaneo amore ipse nos complexus est? Quid enim nos ipsi dedimus aut dare possumus, pro tot tantisque beneficiis? Simili charitate eripuit Abraham nepotem suum Loth e manibus barbarorum: *Assumpsit enim vernaculos*, inquit S. Chrysostomus, hom. LIII. in Genes. *et qui cum Loth educati erant, ut ultionem sponte et benevole facerent, utpote servi pro suo domino certantes; ut quemadmodum dux, ita et milites, non furore sed amore ad*

*bellum incenderentur*. Fac hoc et tu, Christiane: ama proximum tuum, non ut pastor pecorum, qui pabulum eis dat, ut lanam et pellem detrahat.

III. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, ait Dominus, Matth. VII. explicans præceptum dilectionis proximi affirmativum: et rursum: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando feceris*, ait senior Tobias filio, Tob. IV. explicans præceptum negativum: *Ea enim est regula dilectionis*, ait S. August. de vera rel. c. XLVI. *ut quæ homo vult sibi bona provenire, et proximo velit; et quæ sibi accidere mala non vult, et illi nolit*. Prius illud declarat Divus Chrys. hom. XIII. ad popul. « Non opus est, inquit, multis sermonibus, aut prolixis legibus, nec varia doctrina: voluntas tua sit lex. Vis beneficium capere? Confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? Miserere proximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama. Vis partibus primis potiri? Cede prius alteri. Tu sis judex, tu sis legis tuæ legislator. » Ergo ut pauca declaremus.

Primo, sublevandus est in miseria proximus, seu juvenandus; quomodo etiam pisces scari, uno eorum hamum glutiente eique adhærente, cæteri fanem morsibus conficiunt, ut socium liberent, teste Eliano, lib. I. cap. IV. vel quomodo: *Medici*, inquit Sanctus Chrysostomus, or. V. adversus Judæos, *præscribunt ac præcipiunt hominibus quæ possint illorum sanitatem tueri, omnemque morbum excludere. Cæterum ubi neglexerunt præscripta, et in valetudinem adversam inciderunt, non negligunt eos ipsi, sed tunc maxime multam adhibent sollicitudinem, quo illos morbo levent*. Ac licet hoc sæpe laboriosum ac difficile sit, amore tamen proximi devorandum est: quia id ipsum nobis fieri desideramus, præterea etiam proprii boni gratia, verbi gratia, valetudinis recuperandæ, multa sustinemus a medicis vel chirurgis. Hinc Plutarchus dixit: *Amor docet musicam*. In musica nunc elevatur vox ad summum, nunc deprimitur ad imum: ita qui amat, nunc dilecti causa ad sublimia assurgit opera et difficilia patrandæ, nunc dimittit se ad infima quæque: quomodo Christus, nostræ salutis et instructionis causa, nunc opera miraculosa patrabat, ringentibus etiam et obstrepentibus adversariis; nunc ad Judæ pedes sese abiciebat; nunc mortuos suscitabat; postea mortem ipse subiit.

Secundo, tolerandus est patienter in suis defectibus et miseriis, cum juvari et sanari nequit, juxta id apostoli ad Gal. V. *Alter alterius onera portate*. Quod imprimis S. Basilius, in Ps. XXII. declarat similitudine ossium corporis humani.

Ea enim: « Ingenita sibi vi, inquit, præterea carnis mollitiem suffulciunt et pressius contrahunt, itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti fortitudine debiliū fulcire ac ferre imbecillitatem, etc. » Deinde, Sanctus Augustinus, in illa apostoli verba, hom. XXII. exemplo cervorum, qui fretum tranantes gravia sua cornibus capita per vices et ordinem imponunt dorsis prænatantium, sic ait: « Iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irascaris; ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te tranquillitate sua supportet. » Idque declarat exemplo Christi, qui: « Sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua sed nostra; ita et nos libenter ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus. »

Tertio, descendendum est contra obrectatores, et fama ejus tuenda. Ita Sapiens, Prov. X. ait: *Universa delicta operit charitas*. Quem locum etiam citat Sanctus Petrus, epistol. I. cap. IV. *Ante omnia mutuum in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Qua ratione Constantinus M. peccata sacerdotum suo paludamento operire paratus erat. Præclare hoc Christus fecit, quando locuturus cum Samaritana, omnes suos discipulos in civitatem misit, solus ipse ad puteum remansit. Ecce vero omnes, cum unus aut alter sufficeret? Respondet Salmeron in eum locum, quia Christus Dominus sua Samaritanæ peccata objecturus erat. Jussit ergo discipulos recedere: « Ut pudori ejus solitudine consultum esset, et ut liberius posset ejus flagitia detegere atque arguere: ac ut nos inde discamus proximum secrete primum atque salubriter corrigere. » Eadem charitate Judam proditorem Joanni quidem (submissa tamen voce) indicavit, cæteris tamen discipulis nullo indicio prodidit; quo famæ ejus consuleret, licet jam desperarit, soli proditori speculum proposuit, in quo se ipsum cerneret.

Quarto, corrigendus est cum errat. Reprehensio enim est: *Velut quædam chirurgia animæ*, inquit Clemens Alexandr. I. I. pædag. c. VI. *Audiamus D. Augustin. ep. I. ad Bonifacium: Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant et perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est, etc.* Demades orator, cum vidisset Philippum regem largius potum, cum amicis saltasse per mediam captivorum turbam, eis que petulanter reprobrasse suam calamitatem, libere dixit: *Cum, o rex, fortuna tibi Agamemnonis personam induerit, non pudet te factis agere Thersiten? Ea*